SIXTUS PP. V.^(A^s)

Dilecti filij salutem et ap[...]am benedictionem. Eximia deuotionis affectus, quo nos, et Romanam reuerimini ecclesiam promeretur, ut his, quæ pro uestris tranquillitate, commodo,
et utilitate gest[...] fuerunt, ut eo firmius persistant, apostolici muniminis præsidium impertiamur. Sane nuper nobis exponi fecistis, quod Paulus iij. Julius iij. Paulus
iiij. Pius iii[...]orius xiij. et forsan alij Romani Pontifices Prædeceſsores nostri uaria, et diuersa priuilegia, immu[...]itates, et gratias, et inter alia, quod crimi=
nales pœnas [...]tas maleficiorum, ac bonorum confiscationes in Terra uestra, et illius districtu contingentes, exigere, leuare, et percipere possitis, conceſserunt,
confirmauer[...] innouauerunt, ac diuersa statuta, constitutiones, ordinationes, decreta, et reformationes per vos condita, statuta, et ordinata per diuersas lite=
ras approbauerunt, prout in ipsis literis plenius continetur, quodq; annis præteritis pro reparandis uijs, itineribus, et pontibus, et præsertim ponte in flumine poten=
tiæ uersus Lauret[...]m tendente ultra duo millia scuta, et superiori anno pro eisdem uijs, et itineribus, et Pontis præfati diruti per impetum fluminis restauratione
ultra alia trecenta scuta exposuistis: Quare pro parte uestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut priuilegia, immunitates, gratias, statuta, constitutiones, ordinatio=
nes, decreta, reformationes, conceſsiones, et exemptiones prædictas confirmare, aliasq; in præmiſsis opportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos
igitur vos specialibus fauoribus et gratijs prosequi et indemnitati uestræ consulere uolentes, necnon singularum dictarum literarum totos tenores præsentibus pro
expreſsis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula priuilegia, immunitates, gratias, conceſsiones, et exemptiones Vobis, et dictæ Vni=
uersitati per quoscunq; Romanos Pontifices Prædeceſsores nostros, et Sedem Apostolicam hactenus quomodolibet conceſsa, quatenus sint in usu, necnon sta=
tuta, constitutiones, ordinationes, decreta, et reformationes huiusmodi licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus non contraria, apostolica auctoritate teno=
re præsentium confirmamus, et approbamus, ac illis perpetuæ et inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, et ut uias, itinera et Pontes huiusmodi facilius restaurare,
et restaurata manutenere poſsitis, Vobis ut ab ementibus, et uendentibus bona stabilia in dicta Terra, et illius districtu, bolonenum unum pro quolibet floreno uræ
monetæ, exceptis ta[...] Ecclesijs et Monasterijs ac Hospitalibus et alijs locis pijs quæ omnino exclusa sint, iuxta ordinati[...] super à Vobis in consilio uro factam
exigere; necnon Hospitia seu Tabernas, aut Pizicarias uulgariter dictas in affictum, seu appaltum dare, et ab affictuarijs seu Appaltatoribus huiusmodi affictu,
seu appaltum exigere poſsitis, licentiam et facultatem dictis auctoritate et tenore concedimus, et indulgemus. Mandantes pro tempore existentibus Prouinciæ nræ
Marchiæ Anconitanæ Legato, Vicelegato, Gubernatori, Thesaurario, et illorum Ministris, ac Officialibus, ut præmiſsa omnia obseruent, et obseruari mandent, Vosq;
confirmatione, approbatione, adiectione, conceſsione, et indulto, ac alijs præmiſsis pacifice frui, et gaudere faciant, et procurent, non permittentes vos à quoq; desuper
molestari, contradictores quoslibet et rebelles, per censuras, et alias, de quibus eis uidebitur, pœnas, compescendo, adhibito etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.
Non obstantibus quibusuis constitutionibus, et ordinationibus aplicis, necnon dtæ Prouinciæ iuramento confirmatione aplica, uel quauis firmitate alia roboratis statutis, et con=
suetudinibus, ac nouis reformationibus, necnon omnibus illis, quæ dti Prædeceſsoris in suis lris p[...]is uoluerunt non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Datum Romæ
apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xv Decembris M.D.LXXXV. Pontificatus Nri Anno Primo.

Jo: Bapta Canobius

In dei Noie Amen Presens [illegible] Breve ... cellibus conprentum fuit Ill.mo et R.mo
dno Mutio pamamentio proq. mai [illegible] Iohannem Cesarem pellicanum de mae
prod. Cunalem et eo noie Communitatis et hominum terre m. s. f. petentem recepi et
admicti req. et renuntiandum ...

[illegible]
qui Ill.us et R.mus D.nus [illegible] pamamentio ... in pub.co [illegible]
dictum Breve Reuerenter recepit admisit reg. et observari mandauit iuxta
continentiam ipsius omi in [illegible] Actum mae et in pub.co [illegible] in aula
aud. pub. [illegible] in palatio ap.co mace[ratensi] presen[tibus] dno blasio ... [illegible]
de ... [illegible]

[illegible] notarius [illegible]

Dilectis filijs Vniuersitati, et Hominibus Terrae
nostrae Montis sancti Firmani Dioc. ....

[illegible]
[illegible]

Conferma de' Privilegij
Sisto V.

N.° 30.°